



Conradus natus est in Sueuia anno millesimo
 quadringentesimo sexagesimo septimo. Hic
 cum felici ingenio esset præditus, post prima litera-
 rum fundamenta iacta sese ad Tubingensem Aca-
 demiam contulit, atq; philosophiæ diligentem o-
 peram nauauit. In ea quoq; adeo profecit, ut legen-
 do & disputando omnes alios eius loci professores
 longè superarit. postea quoq; animum ad Theolo-
 giam applicuit, & eius facultatis Doctor omnium
 applausu creatus fuit. Vitæ etiam erat integerrime,
 ita ut & uerbo & facto reliquos ad pietatem & om-
 nis generis uirtutes excitaret. Scripsit præterea
 commentaria in uniuersam Physicam, atq; aliud o-

pus de contractibus, deinde in Petri Lombardi sententias conclusiones, atq;
 de duodecim abusibus monasticis. edidit quoq; tractatum bipartitum, quod
 Deus homo fieri uoluerit, quodq; Messias in lege & Prophetis promissus, nõ
 solum homo, sed etiam Deus esse debuerit & debeat. Cum hoc modo ad rei-
 pub. literariæ utilitatem multas lucubrations institueret, atq; Tubingensem
 scholam sua eruditione plurimum illustraret, peste grassante immatura mor-
 te à dira lue in monasterio Schuteren sublatus, & in templo eius loci hone-
 sta sepultura decoratus fuit, die tertia Nouembris, ætatis suæ anno quadrage-
 simo quarto, salutis uerò nostræ recuperatæ millesimo quingentesimo unde-
 cimo. Ad eius monumentum Heinrici Bebelij carmen extat, quod ibidem in
 mea peregrinatione existens anno millesimo quingentesimo sexagesimo quin-
 to descripsi, & subijcere uolui.